Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dissertationes refutatoriae synodalis ab Heinrico Heideggero professore Tigurino adversus sacras

Reding, Augustin

Monasterii Einsidlensis, 1669

Dissertatio XVI.

urn:nbn:de:bsz:31-162659

Visual Library

conditionatè, ſed abſolutè oportet orare per merita Chriſti, B. Virginis, & Sanctorū ſuperiùs recenſitorum, utpote quorum Reliquiæ ibi verè exiſtant.

DISSERTATIO XVI.

An ex eo capite liceat negare, Sacrificium Miſſæ in Sacello Einſidlenſi eſſe à Chriſto celebratum, quòd repugnet ſimplicitati & puritati Eccleſiæ?

I. HEideggerus *cit. §. 19. Arg. 4.* ſic arguit. Miſſa Pontificia ſeu theatrica illa & ſacrificialis repræſentatio mortis Chriſti per verba, ornamenta, ritus, geſtus, actus varios, nec Verbi Divini teſtimonium ullum habet, nec veteris Eccleſiæ praxi ſubnititur, nec Eccleſiæ ſimplicitati & puritati convenit. Imò vergere eam unicè in contumeliam veri Sacrificij Chriſti, argumentis irrefragabilibus evicerunt noſtri.

II. Rogo ex iſto Tigurino Doctore, an non Euchariſtia, ſive cœna Euchariſtica ſit mortis Chriſti repræſen-

tatio? An non Chriſtus id, quod fecit in ultimâ cœnâ, juſſerit fieri in ſuam cōmemorationem? An non manducatio Panis Eucharistici ſecundùm Apoſtolū ſit quædam annuntiatio mortis Chriſti? Quomodò igitur verum ſit, quòd repræſentatio mortis Chriſti vergat in contumeliam veri Sacrificij Chriſti. At dicet fortaſſis, non quamlibet, ſed ſacrificialem Mortis Chriſti repræſentationem eſſe vero Chriſti ſacrificio præjudicialem, & contumelioſam, neque ullo niti Verbi Divini teſtimonio.

III. Videamus igitur, quàm falſa ſit hæc Tigurini Profeſſoris allegatio. Nam Chriſtus Dominus in ultimâ Cœnâ, proferendo iſta verba: *Hoc eſt Corpus meum*, & *Hic eſt ſanguis meus*, hoc ipſum effecit, quod iſtis verbis ſignificavit: ſiquidem verba ipſius ſint infallibilis veritatis, ſintque adeò effectiva illius rei, cujus effectio ad talium verborum veritatem eſt neceſſaria: undè cùm illa verba ſignificent realem Corporis & San-

Sanguinis Chriſti ſub panis & vini ſpeciebus præſentiam, oportet, Chriſtum illis verbis hanc realiter effeciſſe. At quod Chriſtus in ultimâ cœnâ illis verbis effecit, hoc ut Apoſtoli, eorumquè adeò ſucceſſores facerent in ſuam commemorationem, juſſit ipſemet Chriſtus, Hoc *facite*, inquiens, *in meam commemorationem*. Hinc autem planum eſt, Chriſtum dediſſe Apoſtolis, eorumquè in Eccleſiâ Dei ſucceſſoribus talem poteſtatem, ut in ſuam commemorationem mediantibus illis verbis facerent actionem, per quam Corpus & Sanguis Chriſti eſſet ſub ſpeciebus panis & vini. At iſta actio eſt verè ſacrificialis: tum quia erat facta à Chriſto tanquàm Sacerdote ſecundùm ordinem Melchiſedech juxta prophetiam Davidis *Pſal.* 109. prout eam explicat communis conſenſus Patrum, ſpeciatim Clementis Alexandrini *lib. 4. Stromat.* Cypriani *lib. 2. Epiſt. 3. ad Cæcilium.* Euſebij Cæſar. *lib. de Demonſt. Evang. cap. 3.* Ambroſij *lib. 5. de Sacram. cap. 1.*

Epi-

Epiphanij *hæreſi* 55. Hieronymi *Epiſt. ad Evag. & Epiſt, ad Marcell.* Chryſoſtomi *Homil. 35. in Geneſ.* Auguſtini *lib. contra adverſ. Leg.* & *lib. 83. quæſt. 61.* item *lib. 16. de Civit. Dei. cap. 22.* Theodoreti *in Pſal. 109.* Iſidori Peluſiotæ *lib. 1. Epiſt. 431.* Primaſij *in Epiſt. Pauli ad Heb.* Heſychij *lib. 6. in Levit. cap. 21.* Tum quia ipſi convenit vera ſacrificij definitio, prout eam expendenti patebit: tum quia ſucceſſit omnibus legis veteris ſacrificijs, præſertim Agni paſchalis immolationi tanquàm figuræ, cui ceu veritas figurata in ratione ſacrificij reſpondet illa actio Chriſti in ultimâ Cœnâ, uti clarè docent ſancti Patres, nominatim Cyrillus Alexandrin. *adverſ. Anthropomorphytas cap. 12.* Hieronymus *in cap. 26. Matth.* Chryſoſtomus *in cap. Math. 26. Hom. 83.* Auguſtinus *lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 37.* Leo *ſerm. 7. de Paßione Domini.* Iſiphius *lib. 2. in Levit. cap. 8.* & alij. Tum denique, quia hoc ipſum Miſſæ ſacrificium à Chriſto Domino inſtitutum in ultimâ Cœnâ clarè exprimitur illâ prophetiâ Ma-

Malach.1. v.10. *Ab ortu ſolis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur mihi oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus Exercituum.* Quam prophetiam de Miſſæ ſacrificio accipiendam eſſe, teſtantur etiam ſancti Patres, ſpeciatim Tertullianus *lib.4.cont. Marcion.* Irenæus *lib.4.cap.32.* Juſtinus Martyr *Dialog. cum Tryphone.* Chryſoſtomus *in Pſal. 95. & Orat. 2.adverſ. Iudæos.* Auguſtinus *lib.18.de Civit. cap.35.* Vides igitur Heideggere, quàm vanè glorieris, quòd Miſſæ ſacrificium Verbi Divini teſtimonium non habeat, nec ullâ veteris Eccleſiæ praxi ſubnitatur, neque ſimplicitati & puritati Eccleſiæ conveniat, cujus tamen contrarium clarè evincitur atteſtatione Patrum, nimirum Andreæ Apoſtoli *in vitâ ipſius ab Achaiæ Presbyteris conſcriptâ. Par.1.pag.374.* Ignatij *ad Heronem Epiſt.* 10. Dionyſij Areopag. *Hierarch.Eccleſ. cap. 3.par.2.* Juſtini *Apolo. 2. pro Chriſtian.* Irenæi *lib.4.cap.32.* Tertulliani *lib. de cultu fæmin.*

min. Cypriani *lib. 2. Epiſt. 3. ad Cæcilium.* Hippolyti *Orat. de Conſum. mundi.* Euſebij Cæſarienſ. *lib. 1. cap. 10. de Demonſt. Evang.* Sebadij *lib. contra Arianos.* Gregorij Nyſſeni *Orat. de Reſurrect.* Ambroſ. *in cap. 1. Luc.* Gaudentij Brixienſis *tract. 2.* Concilij Carthagin. *3. cap. 24.* Tolet. 1. *cap. 3.* Chryſoſtomi *Homil. de Iud. prodit. & Hom. 17. ad Heb.* Nili Abbatis *in Epiſt. ad Anaſtaſ. Epiſ.* Auguſtini *lib. 10. de Civit. Dei. cap. 20.* Cyrilli Alexandrini *Anathe 11.* Procli Patriarchæ Conſtantinopol. *de tradit. Miſſæ.* Theodoreti *in cap. 8. ad Heb.* & aliorum, quorum omnium teſtimonia promptus, & paratus ſum ad cujuſvis inſtantiam proferre in mediū. Imò ipſemet Zwinglius *Epich. de Can. Miſſæ.* Calvinus *Inſtit. lib. 5. cap. 5. ſect. 10.* & Bullingerus *Decad. 5. ſerm. 9. §. pro mortuis.* coguntur fateri, Miſſæ ſacrificium niti Patrum authoritate, ſive (ut Zwinglius temerè loquitur) vociferatione. Sanè igitur veteris Eccleſiæ praxis teſtimonium perhibet Miſſæ ſacrificio, cùm econtrà ejus abrogationi

non

non alius ſpiritus videatur ſuffragari, quàm ille, de quo ſcripſit Zwinglius *lib. de ſupplem. Euchar.* quòd anxiè cogitanti ſibi, quomodò verba inſtitutionis Sacramenti Corporis Chriſti torqueret, intempeſtâ die 13. Aprilis nocte ſpiritus monitor adfuerit, ſed albuſnè, an ater fuerit, ambigat. Et clariùs Lutherus *lib. de Miſſâ Angul.* ait, ſe à diabolo ſtimulatum eſſe, ut contra Miſſam ſcriberet, ſibiquè ad eam rem argumenta ſuppeditâſſe.

IV. At pergit Heideggerus, in Synodo, inquiens, Tridentinâ Ataides regis Luſitaniæ Theologus efficaciter negavit, Sacrificium Miſſæ ex ſcripturis probari poſſe, & argumenta contraria aërea vocavit. Quis igitur affirmare auſit, Chriſtum in dedicatione hujus Sacelli, ſolenne, ut vocant, altaris Officium, ſeu Miſſæ ſacrificium celebrâſſe?

V. Verùm quiſnam fuerit ille Luſitaniæ Regis Theologus, non reperitur; ſed catalogus Legatorum, Patrum, Oratorum

torum & Theologorum, ab initio uſq; ad finem Concilio Tridentino præſentium longè alios dicit miſſos fuiſſe nomine Regis Luſitaniæ. Quòd ſi tamen Heideggerus tantam vim contendit ponendam in unico (fictitio tamen) Theologo Synodo illi præſente, quanta authoritas erit univerſi ſacri Concilij *Seſſ. 22. cap. 1.* ex ipſiſmet ſacræ ſcripturæ textibus probantis, ac definientis Corporis & Sanguinis Chriſti ſub panis & vini ſpeciebus oblationem eſſe viſibile Eccleſiæ ſacrificium, per quod virtus ſacrificij in cruce peracti, & per illud repræſentati applicetur in remiſſionem peccatorum. Quod equidem ſacrum altaris ſolemne Officium ſeu Miſſæ ſacrificium in Einſidlenſi Deiparæ Sacello ſub ejus Divinâ conſecratione fuiſſe à Chriſto Domino celebratum, teſtatur Divus Conradus *in lib. de Secret. Secret.* cujus authoritas longè præponderat Heideggeri authoritati; adeòque ſi Doctor hic Tigurinus abſq; ullo fundamento, per ſolam ſuam inna-

innatam licentiam negare audeat, cur non & ego tantâ authoritate nixus affirmare auſim i lam à Chriſto Domino peractam Sacrificij Miſſæ in Sacello Einſidlenſi celebrationem?

DISSERTATIO XVII.

Qualiter Chriſtus celebrârit Miſſæ ſacrificium in Sacello Einſidlenſi?

I. HEideggerus *cit.* §.19 non tam impugnat, quàm ſolitâ ſuâ licentiâ exſufflare nititur ea, quæ Redingus in *citatis Diſcurſibus Theologicis Diſc.* 6. circa iſtud punctum diſcuſſit. Quare ad Heideggeri exceptiones ſolidiùs reprimendas, præallegatum Diſcurſum, ad ſolidam, ſi poſſit, refutationem ipſum provocando, hîc reproduco, qui ſic ſe habet.

II. In hoc Sacello Chriſtum Dominum ſolemne Altaris Officium, ſeu Miſſæ Sacrificium celebrâſſe, pluribus refert Sanctus Conradus *loc. ſæpè cit.* Cujus Miraculi admiratio rationem alicujus